ORATIO

PRO

H. 4. 81

LINGVÆ ARABICÆ PROFESSIONE, PVBLICE

ad Academicos habita in
Schola Theologica *Universitatis Oxoniensis*
XXV. Octob.
1626.

à

MATTHIA PASORE, *Artium Magistro & non ita pridem Mathematum Professore in Vniversitate* Haidelbergensi.

אי לאר דלינא חספא לא משתכחת
מרגניתא תותיה׃

Non nisi sublatô reperitur
gemmula saxô.

OXONIÆ,
Excudebant *Johannes Lichfield* & *Gulielmus Turner* Academiæ Typographi,
Anno Dom. 1627

DECRETVM
CONCILII VIENNENSIS
Sub Clem. V.
Lib. 5. Clementin. t. de Mag.

In Studijs, Romanæ *curiæ*, Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi & Salamantino *debent esse Magistri Catholici Scholas regentes in lingua* Hebraica, Arabica & Chaldæa, *duo scilicet pro qualibet lingua, &c.*

Cambridge University Library
On deposit from
Peterborough Cathedral

ILLVSTRISSIMO
DN: CANCELLARIO,
REVERENDO Dn.
PRO-CANCELLARIO,

Nec-non

Venerando & Amplissimo Ordini
DOCTORVM & MAGISTRORVM *Inclytæ Academiæ*
Oxoniensis, S.P.P.

לא תנטרוא אלי מן קאל בל אנטרוא אלי מא קאל: Respiciatis id quod dicit, *inquit Arabs*, non eum qui dicit, *addo*, nec quomodo dicat. *Sisto hic vobis* linguam Arabicam *Virginem, non modò si Scholas vestras, sed etiam si cultum illius consideretis. Primùm nunc, ni fallor, Cathedram vestram publicam salutat; sed simplici induta habitu, absq; fuco vel pigmentis vllis, Integritate suâ ac sincerò vo-*

bis inſerviendi ſtudiõ, ſpe minimè dubiâ, meſſis Sabæa factâ, veſtrum ambit patrocinium. Ex remotis penitiſſimæ Aſiæ Africæq; oris oriunda eſt, & poſt tantum iter nuda ad genua veſtra provoluta iacet. Britannicum erga peregrinos favorem ſibi pollicetur, iuriſq; ſui ante ſecula aliquot in Scholis Oxonienſibus publica authoritate ſibi conceſſi executionem ſupplex expectat. Valete & favete. Oxoniæ Non. Decemb. 1626.

Illuſtriſſ. C.

Rev. Dign.

& Excell. V.V.

addictiſſimus

MATTHIAS PASOR.

ACADEMICI
OMNIVM ORDINVM,
Dignitatum & ætatum, Spectatiſſimi, *Florentiſſimi.*

LINGVARVM varietas pœnę ſeu maledictionis locô infligebatur θεομάχοις illis, qui nefario auſu turrim Babylonicam moliebantur. Terra enim vniuerſa antea erat, שפה אחר ודברים אחדים labij vnius & verborum eorundem. Gen. 11.1. Eadem linguarum varietas benedictionis ſingularis locô donabatur Apoſtolis à Sp. Sancto, in primo Pentecoſtes N. Act. 2.3. T. feſto, ſymbolô adhibitô γλωσσῶν διαμεριζομένων linguarum diſpertitarum. *Apoſtoli* omnes Galilæi erant, & tamen V 9.10.11 Parthi, Medi, Elamitæ, Ægyptij, Roma-

ni, Cretes, Arabes, cum plurimis alijs materna suâ quiq; linguâ eos audiebant promptè edisserentes τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ, magnalia Dei. Linguis variis in V.T. Deus hostes suos turbabat ac confundebat, linguis variis in nouo fedele servos suos gratiosè instruxit, ad filios suos per omnes nationes dispersos docendum & in vnum colligendum. Magni huius doni linguarum in primitiua N. T. Ecclesia à quibusdam ad fastum & typhum, non autem ad ædificationem Ecclesiæ adhibiti abusum taxat *Apostolus*. Scilicet nihil tam præclarum ac salutare est, cuius non abusus detur pernicioſissimus. Singulari sanè Dei prouidentiâ vnà cum reformatione Ecclesiæ tempore Zuinglij & Lutheri renascebantur Artium ingenuarum & linguarum eruditarum studia, pulsâ veteri Monachorum inertiâ & barbarie. Excitabantur enim superiori seculo ad instaurationem humaniorum studiorum Reip. literariæ *Heroês*, *Iohannes Capnio* aliàs *Reuchlinus*, *Desid. Erasmus Roterodamus*,

1. Cor. 14.

mus, Conradus Pellicanus, Sebastianus Munsterus, Paulus Fagius, Philippus Melanchthon, Sanctes Pagninus, Guilelmus Budæus, Stephanus vterq, Mercerus, Vatablus & infiniti alij. Ad expurgandum sc. Augiæ stabulum superstitionum Papatus, & ad eluendum sordes Sophisticæ Scholasticorum opus erat smegmate Orientali, & aqua limpida fontium Hebræorum & Græcorum V. & N. Testamenti. Ea enim erat versionum istius temporis impuritas & corruptio, vt ad negotium tantum perficiendum minimè sufficientes esse potuerint, imò ea hodieq; earundem est discrepantia & varietas, vt absq; textuum ipsorum originaliũ inspectione de genuino Scripturæ sensu certi esse nequeamus. Optimô ergò consiliô in *Christiani* orbis Academijs constituti sunt jam pridem publici literarum Græcarum & Hebræarum Professores; & vtinam nos æmuli feruoris ac zeli hujus maiorum nostrorum studia tam honesta & necessaria harum aliarumq; linguarum eâ,

quâ par erat, diligentiâ excoleremus & quisque suô locô sincerè promouere studeremus! Hebræo sermoni dici non potest quantũ luminis & ornamenti accedat cognitione & collatione linguarum cognatarum *Chaldaicæ, Syriacæ atque Arabicæ*, quæ omnes Hebræam matrem agnoscunt ac venerantur. *Chaldaicè* nouimus extare capita aliquot ab ipso *Spir. San.* inspirata in *Daniele* & *Ezra*: *Chaldaicè* etiam reliqui V. T. libri versi sunt maximam partem à Ionathane & Onkelo, quæ Paraphrasis *Chaldaica* vulgò κατ' ἐξοχὴν תרגום id est interpretatio vocatur, & cùm summæ apud Iudæos sit authoritatis, Christianis ad eos convincendos & ad multa Sacræ Scripturę loca perspicuè explicanda, lõgè est aptissima. Textus *Syriacus* N.T. post Grecũ proximô meritò numeratur locô ob antiquitatem, versionis elegantiam & proprietatem, ac deniq; ob linguæ ipsius, vtpote Christo Seruatori vernaculæ, dignitatem. Sed alio tempore fusiùs de Idiomatum istorum stu-

dio

dio & vſu diſſerendi dabitur occaſio; nunc linguam *Arabicam* veluti cæteris rariorem, non minus tamen neceſſariam atq; vtilem, paucis conſiderandam ſumemus, duo hæc breviter expedituri:

1 *Magnam eſſe Arabicæ linguæ præſtantiam & ſtudij eiuſdem neceſſitatem atq; vtilitatem.*

2 *Cauſas quaſdam ſpeciales eſſe cur eadem in hac ipſa Regia Academia Oxonienſi publicè docenda & diſcenda videatur.*

Non eſt *Auditores* quòd à me expectetis Orationem floridam aut mangonizatam, cùm militum barbaries omne venuſtatis ac lepóris ſtudium penitùs in me extinxerit; Non eſt quòd expectetis orationem multijugâ eruditione conſpicuam, cùm bellicis tumultibus & varijs peregrinationibus Bibliotheca mea diſtracta & ſtudiorum meorum curſus non ſemel interruptus fuerit; Non eſt quòd expectetis promptum ac viuidum eloquium, cùm vltrà quadriennium à cathedra publica *Haidelbergenſi* avulſus, rem

prorſus

prorſus nouam hodie mihi aggredi videar. Rogo tamen vos & obtestor, vt ea quæ ſtilo ſimplici ſed rationibus fortè & exemplis non prorſus alienis firmata propoſiturus ſum, diligenter expendatis & re ipſa in nobili hac Academia veſtra exprimatis.

Vino vendibili non opus eſt hedera ſuſpenſa. Superuacaneum itaq; eſſet operoſè *Arabicæ linguæ dignitatem & præſtantiam* depingere, cùm tantus eius ſit nitor, vt colores peregrinos & fucum omnem reſpuat. Vnum hoc dico, ſi lingua vlla commendationem meretur ob Orthographiæ elegantiam, propriam verborum copiam vſuſq; amplitudinem, noſtra hæc certè cum linguis elegantiſſimis, copioſiſſimis & ampliſſimis jure de primatu certare poteſt. De *Orthographiæ accuratione* ac *Verborum Arabicorum copia* judicabant ij, qui priſcis moribûs ſaltem labris Arabiſmum degustârunt. Pulcherrima & expeditiſſima eſt literarum connexio; & rem quam Latini vnâ vel duabus, Græci quatuor vel quinq;

quinq; vocibus exprimunt, Arabes nostri viginti sæpe & pluribus enuntiare possunt vocabulis. *Vsus* eius per vastissima *Asiæ Africæq;* regna latissimè diffusus est. Per 3000. circiter annos intra limites *Arabiæ* (quæ ad minimum *Hispaniam, Galliam, Germaniam* vtramq; & *Italiam* magnitudine sua adæquat) coërcebatur & inter Sabæ nepotis Chami posteros vigebat; Sed vnà cum Secta Mahumedica circa annum Christi 630. erupit, & in pretio esse cœpit apud *Barbaros, Mauros, Turcos, Ægyptios*, ipsosq; *Tartaros, Persas & Indos*. Vernacula est hodie vniuersæ ferè Africæ litorali, Mauris, Numidis, Ægyptijs, nec non Arabibus & Syris. In Turcia, Persia, India & Tartaria, vbi Mahomedis grassatur superstitio, etsi aliæ linguæ in vsu vulgari sint, in qualibet tamen ferè domo vnus saltem est qui Arabicè sciat. Curant enim plerique liberis suis idioma hoc instillari, non modò vt Alcoranum, quem legere tenentur: sed & diplomata Principum & contractuum priuatorum instrumenta

ſtrumenta libroſq; elegantiores eius beneficiô intelligere poſſint. Vnicum eſt de quo vulgò dubitari & quæri ſolet, *quem vſum lingua hæc nobis Chriſtianis præſtet* in Artium aliarumq; Facultatum ſtudijs. Hôc enim ſeculô nonniſi vtilia, Vtinam verò tantùm & verè vtilia ſectari ſolemus. Multùm certè linguæ hujus cognitio prodeſt *Theologo* vel hoc nomine, quia facit ad illuſtrationem & accuratiorem cognitionem *linguæ Sanctæ*, cuius ſtudium ſummæ neceſſitatis & vtilitatis eſſe nemo hodie tam perfrictę frõtis eſt, qui publicè negare auſit. Filia matrem & mater filiam iuvat ac commẽdat. Nam vt habet R. Aben-Ezra in *Ex.* 12.9. רוב לשון ערבי רומה ללשון עברית lingua Arabica Hebrææ eſt ſimillima. Vocum multarum Hebræarum vis & origo optimè ex Arabicis oſtenditur, cùm in lingua Hebræa, quæ hodie exiguâ tantum ſui parte in V. T. libris ſupereſt, radices earum veræ cum ſignificatibus genuinis inveniri non poſſunt. Sic אלהים *Deus* deſcendit à ſignificatione

Arabica

Arabica radicis אלה coluit: מנחה *munus, oblatio* est à rad. מנה dedit, donavit: דברות *rates* à rad. דבר direxit, gubernavit: מאזנים *lances, trutina* à rad. וזן appendit, libravit, &c. *Rabbinos* multùm juvare in explicatione Grammatica phraseων & vocum textus sacri omnes eruditi interpretes vno ore fatentur. At Commentarij ipsorum Biblici sæpenumero absque Arabismi cognitione planè impervij sunt atq; impediti, vt cuique mediocriter saltem in Biblijs Bombergianis vel Buxtorfianis versato compertum est. Fatetur hoc *Nicolaus Clenardus* in Epistolis suis, vbi inquit: In lectione Commentariorum subinde me cruciabat, quòd hanc vel illam voculam id sonare dicerent Arabicè, præcipuè autem me stimulabat *R. Aben Ezra*, quoties occineret illud Fe R A P H A T V M in lingua Ismaëlitica, id est, Arabica, &c. Accedit quòd *versio Arabica V. & N.T.* sæpe ab interpretibus accuratioribus Scripturæ Sacræ citatur, idq; non immeritò. Si enim translatio Latina, Anglicana vel Germanica

Pag. 118.

Germanica multum conducunt ad textus sacri V.T. intelligentiam, quid non sperandum de versione linguæ Orientalis, multò textui authentico Hebræo vicinioris. *Gregorius Magnus* (vt rectè observavit D. *Iamesius*) lib. 20. Moralium cap. 25. in Iob. 30. 21. ad verba, *Mutatus es mihi* "*in crudelem*, inquit: Longè ab hac sen-" tentia vetusta translatio dissonat, quia " quod in hac de Deo dicitur, hoc in illa de " aduersarijs & persecutoribus memoratur. " Sed tamen, quia hæc nova translatio ex " *Hebræo nobis Arabicoq; eloquio* cūcta ve-" riùs transfudisse perhibetur, credendū est " quicquid in ea dicitur & oportet vt verba " illius nostra expositio subtiliter rimetur. Videas passim textum Arabicum allegari à Doctissimo *Casaubono* in Exerc. contra Baronium, à magno Britanniæ lumine *Iacobo Vsshero Hiberniæ Primate* in Resp. ad provoc. Ie: ejus cognitionem ac scrutationem tantopere desiderari & expeti à Præceptore meo Dn: *Abrahamo Sculteto* in exercitationibus Evangelicis, quas anno emortuali divulgavit. *Immanuel*

nuel Tremellius & F. Iunius, cùm in insigni illo ſuo opere Biblico verſarentur, hinc inde autem ſibi in Rabbinorum Cõmentarijs ſcrupulos injci animadverterent, ac ſubſidium aliquod in locis obſcurioribus ex Arabico Bibliorum contextu expectarent, ætate jam provectiores operam dederunt idiomati huic, & ille quidem Grammaticæ Arabicæ concinnauit compendium, hic verò Epiſtolas aliquot Pauli & Acta Apoſtolica ex Arabico latina fecit. *Iohannes Mercerus* ſenex ijſdem cauſis permotus ſolius Arabiſmi ſtudiô paulò ante mortem ſuam in Orientem cogitavit. Quid multa? Annon *Theologi ſcopus præcipuus* eſſe debet, *afflictorum conſolatio* & *infidelium converſio*? At maxima Orientis pars hodie languet: tot *gentes* ampliſſimæ *Aſiæ Africæq;* veluti oves palantes oſtium & ovile verum ignorant, nec Chriſtum agnoſcunt. Cum ipſis autem vtiliter conuerſari vel ſcriptis ſaltem conuerſionem ipſorum promouere abſq; Arabicæ linguæ adminiculo prorſus eſt impoſſibile. Sic enim in fidei hoſtes

hostes stringendus est gladius, vt mucronem sentiant, ait *Clenardus*, qui belli Mahomedici causâ summo cum labore & periculo linguam hanc addiscere studuit. Eodem fine *Petrus Abbas Cluniacensis* ex Arabico vertendum curauit *Alcoranum* Mahomedicum per *Ro. Retenensem Anglum* & *Hermannum Dalmatam* viros vtriusq; linguæ peritos, quam versionem Arabico textu collato recognovit superiori seculo *Theodorus Bibliander*. Errores sc. prius ex authenticis Paganorum libris cognoscendi sunt, antequam antidotum commodum parari & applicari possit. *Augustinus Iustinianus Nebiensis Episcopus* suô locô labori & sumptibus non pepercit in lingua hac cognoscenda ac propagãda, vt testatum facit Psalterium ejus πεπτάγλωττον vulgò Nebiense dictum, quod vna cum Biblijs Complutensibus superiori seculo ad studium Philologicum instaurandum plurimùm profuisse testatur *Pellicanus* in vita sua operibus proprijs præfixa. Linguam ergo ad *Hebraismi* vberiorem cognitionem & *Commentariorum*

mentariorum Rabbinicorum accuratiorem intelligentiam summè vtilem, & ad *versionem vtriusq; Testamenti* Orientalem ipsorumq; *Orientalium* populorum *Conversionem* viam sternentem; nec non à *tot ac tantis Theologis* magno cum successu jam pridem excultam, quis viro Theologo magno vsui & præclaro ornamento esse inficiabitur?

Medicinam nemo per transennam aspexit, qui non vltrò Arabicæ linguæ cognitionem artis illius Professoribus summoperè necessariam esse confiteatur. Infinita *morborum & medicamentorum* tam simpliciu quàm compositorum *nomina* Arabica sunt, vt vel ex sola Glossarij vel Indicum inspectione constat; quæ non nisi ex Arabum lingua ritè explicari atq; applicari possunt. *Rasis Medici Arabis* opus prægrande אלחאוי siue continens dictum, complectitur allegationem 300 & amplius Medicorum Arabum, cujus tractatus nonus de curatione morborum sub prelo nunc calet Arabico. Nil dico de *Serapione* & *Mesua*, nil de

Gieberim & *Mugaribem* artis Chemicæ ſcriptoribus; vnicus Princeps *Abuhali*, *Abenſina* ſufficiat, cujus Canõ, Medicinæ penu inſtructiſſimum, in Lectore accurato linguæ Arabicæ cognitionem neceſſariò præſupponit. Ea enim ſæpè verſionum ejus eſt diſcrepantia, adde & obſcuritas, vt nonniſi beneficiô textus originalis Arabici authoris ſenſus percipi poſſit, quem proinde omnes Medicinæ veræ ſtudioſi familiarem ſibi reddere debent, niſi forte prorſus tanti Medici lectione & Inſtitutione carere velint. Laude hoc nomine dignus eſt *Gerardus Cremonenſis*, qui linguæ hujus cauſâ in Aſiam abijt, & *Andreas Alpagus*, qui ejuſdem ſtudiô in Syriam navigauit, atq; ibidem vltra xxx annos eſt commoratus. Vterq; in verſionis Avicennæ emendatione præclaram τοῖς φιλιάτροις navavit operam.

Philoſophi ſi humanitatis ſtudia, *Phyſicam*, *Matheſin*, *Hiſtorias* & *Poëſin*, id eſt, ipſam veram Philoſophiam in pretio habent, linguam Arabicam ſibi habere debent commendatiſſimam. Suadent hoc

inter

inter alia monumenta אבן ראשד, qui vulgò ineptè *Averroës* vocatur, textus & commentarius Arabicus *Euclidis*, Princeps *Alpheda* & *Geographia* altera *Nubiensis*, cui titulus est נזהה אלמשתאק *Relaxatio animi curiosi*. Termini plurimi in *Astronomia* & *Astrologia*, vt & stellarū & siderum nomina Arabicè efferuntur, vt vel patet ex vulgaribus illis, *Aux*, *Zenith*, *Nadir*, *Azimuth*, *Almucantarath*; oculus ♉, *Kalbo-lhaſedi* vulgò cor ♌, *Algiethi* vulgò Hercules, *Algol* seu caput Meduſę, *Fomahaut*, id est os piſcis seu ceti, quæ ut & ſexcenta alia ejuſdem generis lucem ex Arabico fœnerantur Idiomate. *Hiſtorias* rerum geſtarum non modò *Arabum* sed & *Hebræorum*, *Chaldæorum*, *Perſarum*, *Græcorum* & *Romanorum* deſcripſerunt *Saidus*, *Abdolmelek*, *Rakikus*, *Caldimus*, & alij. *Poeſeos* Arabicæ tanta est ſuauitas, vt multorum judiciô nihil cum ea in cæteris linguis comparari poſſit. Numerant LX Poëtas Principes, qui alias ſub ſe vatum ducunt turmas, ſi credimus *Leoni Africano* in Africæ deſcriptione. *Erpeni-*

as pollicebatur editionem Poetæ eximij אלמהנבי quasi Prophetantis dicti, quòd proximæ à Pseudopropheta Mahomede sit anthoritatis, sed morte præventus huic & multis alijs promissis satisfacere non potuit. Regna Orientis *Bibliothecas* possident instructissimas. *Constantinopoli* duæ sunt Bibiothecæ, quarum singulæ C. vna autem quæ CCCC. ducatorum millibus æstimari solent. Testes oculati perhibent, in una Bibliotheca *Fessana* XXXII millia voluminum Arabicorum reperiri. Neque hoc mirum est, cùm Arabes *Academias* XXX. circiter, Leone Afro teste, in vrbibus suis nobilioribus, V. G. *Marocci*, *Fessæ*, *Hubeddæ*, *Oramæ*, *Constantinæ*, *Tunetii*, *Tripoli*, *Alexandriæ*, *Alcahiræ*, alibiq; numerare possint. *Authores* celebriores *Græcorum* & *Romanorum* Arabicè versi sunt, vnde sæpè in locis mutilis ac dubijs haud infeliciter ex Arabica translatione restitui & emendari possunt, quod *Clenardus*, *Postellus*, & *Scaliger* suâ se comperisse experientiâ affirmare non dubitant. *Titi Livij* libri,

Erp. Or. 3. de L. A.

Erp. Or. 2. de L. A.

libri, quorum jacturam deflet Latium, Arabicè extant, libris *Pappi Alexandrini* de Analysi Mathematica Arabes fruuntur. Epp. Or. 1. de L. A.

I nunc Ἀραβομάστιξ quisquis es & Arabicam linguam invtilem ac curiositatis tantùm pabulum esse clamita. Aliter sentiebat *Fridericus II. Imperator*, qui circa annum Domini 1245. Galenum, Avicennam, Ptolomæum, Aristotelem, aliosque primæ notæ authores è lingua Arabica in Latinam transferri curavit. Aliter judicârunt *Patres Concilij Viennensis*, qui anno 1311. sanciverunt, vt Vniversitas Parisiensis, Oxonienſis, Bononiensis & Salamanticana binos singulæ, linguæ Arabicæ alant Professores. Rectiùs etiam hac in parte senserunt *Gregorius* XIII. & *Magnus Hetruriæ Dux*, qui Typographijs elegantissimis idioma hoc propagare studuerunt. Alia quoq; mens fuit *Pauli V.* qui in cujuscunq; ordinis & instituti Regularium (quos vocant) Collegijs Majoribus linguæ Arabicæ doctores constituere jussit. Alia mens fuit tot summorum

virorum, qui, vt vt temporis sui dispersatores essent parcissimi, nescio quô tamen impetu & conatu heroico linguam hanc addiscendam ac propagandam duxerũt, spreto omni sumptu, labore aut periculo. *Raymundus Lullius* Senescallus Regis Majoricarum, quum quadragenarius Grammaticæ Latinæ discendæ causâ Lutetiam se contulisset, eamq; ibidem perdidicisset, animum etiam applicuit ad linguam Arabicam. At servus Saracenicus emptitius, cujus opera in ea addiscenda vtebatur, cùm subodoraretur, eum Saracenorum conuertendorum causa hoc facere, cædem ejus meditatur, vulnere gravi pectori ipsius inflicto: Lullius spe sua in mancipio hoc frustratus, nequaquam Arabicam linguam hac de causa odisse cæpit, sed ipse aliquoties in Mauritaniam trajecit, eamq; nõ solùm accuratè didicit, sed etiam Saracenis non sine præsentissimo vitæ periculo Evangelium prædicavit, vt narrat *Carolus Bovillus* in epistola de vita Raymundi Lullij Eremitæ. *Guilelmus Postellus* in præfatione Compendij Cosmographici

Cosmographici testatur se magnam in Oriente voluminum Arabicorum comparâsse copiam, quorum maximam partem Electori Palatino Otthoni-Henrico CC. aureis oppigneraverat, & nominatim *Damascenum* scriptum linguâ Damascenâ ipsi vernaculâ, Abulfedam Geographum, quem solum non putat DC. coronatis persolui potuisse. Addit, *Si quid ego possem praestare aut in Syriacâ, aut in Arabica lingua, non recusarem, libentissimè etiam mendicando victum docerem. At revera nil scio in utrâq; lingua. sed tamen*, quod ille ajebat,

fungor vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Nicolaus Clenardus primò in Hilpaniam deinde in Mauritaniam proficiscebatur linguæ Arabicę discendæ & librorum Arabicorum coëmendorum causâ. *Iacobus Christmannus* primus in vniversa Germania superiori publicam Arabicæ linguæ professionem suscepit in *Vniversitate Haidelbergensi*. *Iosephi Scaligeri* serium

erga literas Arabicas affectum abundè testantur tum alia tum Bibliotheca illa Orientalis librorum inprimis Arabicorum, quam Academiæ Leidensi legauit. Duo tamen præ omnibus alijs nostrâ memoriâ indefessæ suę in studio hoc diligentiæ laudem promeriti sunt præclaram; Vnus est *Franciscus Raphelengius* vir magnæ in linguis Orientalibus industriæ, cui ipse B. Arias Montanus, maximam magni illius operis Regij partem acceptam ferre jubet. Instruxit ille *Typographiam Arabicam*, & *Lexicon Arabicum* collegit, quod, licet non sit omnibus numeris absolutum, non sine magno tamen labore à viro illo optimo est congestum & linguæ hujus studiosis bono esse potest adminiculo; Alter est *Thomas Erpenius*, non ita pridem Arabicarum literarum in Academia Leidensi Professor eximius, qui accuratè præ alijs linguæ hujus fundamenta scrutatus est, & primus nobis Europæis succinctam ac sufficientem dedit *Introductionem Grammaticam*. Multos etiam alios libros Arabicos, præcipuè *Pentateuchum*

In præf. T. 1.

chum *Mosis* & *Novum Testamentum*, *Giarumiam* & *Historiam Saracenicam* eleganter edidit ex Officina Orientalium linguarum propriis sumptibus Leidæ in ædibus privatis à se adornata. *Maronitarum* mentionem nullam facio, quia lingua hæc ipsis ferè vernacula est. Non tamen possum quin in confessu vestro deprædicem humanitatem eximiam Dn: D. *Gabrielis Sionitæ*, Chaldaicarum atq; Arabicarum literarum Professoris & Interpretis Regij in *Academia Parisiensi*, cui me plurimum quòad accuratiorem linguæ hujus cognitionem debere lubens meritóq; profiteor. Taceo multos alios viros præstantissimos in nobilioribus *Europæ* regnis, qui linguam hanc exoseulantur & fovent, inter quos nequaquam postremum locum obtinet in Anglia nostra vir humanissimus juxta ac doctissimus *Guilelmus Bedwellus*, cui in Lexici Arabici concinnatione strenuè desudanti ventos secundos exopto ex animo.

Quid verò sunt omnia ista hactenus vobis *A.H.* proposita aliud, quàm stimuli

ad

ad linguam Arabicam ſtudioſè excolendam? Linguam adeo *elegantem* & *tantæ* in aliarum facultatum ſtudijs *vtilitatis* nemo eruditionis ſolidę cupidus vilipendere aut negligere poteſt. *Theologos* accuratior Hebraiſmi & Commentariorum Rabbinicorum intelligentia invitat, *Medicos* ſummorum Medicorum Arabiæ digniras allicit, *Philoſophos* & *Philologos* Mathematicorum, Hiſtoricorum & Poëtarum Arabicè ſcribentium accuratio ſuavitaſq; ad ſtudium hoc tantùm non compellit. *Tot heroũ exempla*, quos Arabicam linguam propagâſſe vel excoluiſſe dixi, viva ſunt argumenta, quæ mentem non planè ſtupidam aut abjectam ad idē tentandam inflammare debent. Abundamus hodiè, per Dei gratiam, *optimis* diſcendi *occaſionibus*, libros habemus nitidè cum apicibus omnibus impreſſos, nec deſunt homines artificioſa docendi methodo inſtructi. Olim vel nulli erant libri Arabici excuſi, vel tam rudi charactere, vt vel diſcendi cupidiſſimo nauſeam mouerent. *Clenardus* incidebat in *Pſalterium Nebienſis*

Nebienſis Epiſcopi, ſed in univerſo Belgio nullum nec vivum nec mutum præceptorem nanciſci poterat, qui vel Alphabetum ei monſtraret. Ignorabat an Arabes dextrorſum vt *Æthiopes* vel ſiniſtrorſum *Hebræorum* more legerent, nec tamen monſtroſæ illæ ac rudes Pſalterij literæ deſiderij Arabici ignes in pectore ipſius extinguere valebant. Ipſe Ἀραβικομαθὴς (ipſiuſmet vtor Epitheto) proprijs viribus abſq; vllo magiſtro negotium hoc aggreditur & ex nominibus Pſalmorum proprijs, quæ in omnibus linguis eadem eſſe præſumebat, ipſe ſibi alphabetum collegit. Poſt aliquot annos, *per Galliam* itinere facto, in Hiſpaniæ *Academiam Salamanticanam* ſe contulit, vbi qualemcunq; vivam in Alphabeto manuductionem nactus, primum non ſine tripudio vocales conſpexit Arabicas. *Eboræ* poſtea ſurdo vſus eſt præceptore ac tandem trajecit in Africam & *Feſſæ* non ſine magno vitæ periculo per aliquot annos eſt commoratus, donec tandem rediturus in Brabantiam itineris longinqui & diuturni moleſtijs

In Epiſt. p. 213.

P. 225.

P. 213.

P. 248.

iis fractus diem ſuum obiret *Granatæ* in Hiſpania. *Auguſtinus Nebienſis* Epiſcopus cum Grammatico Hebræo *Weiganmero* in itinere ſimili naufragus perijt. *Iohannes Mercerus* etiam in itineris ſui Orientalis principio exſpirauit. Vos, *Academici Oxonienſes*, non opus habetis cum *Raymundo Lullio*, *Andrea Alpago*, *Nicolao Clenardo*, & *Stephano Huberto* nauigare in *Africam*; aut cum *Gerardo Cremonenſi*, *Guilelmo Poſtello*, *Ioanne Baptiſta Raymundo*, abire in *Aſiam*; non eſt quòd viua magiſtri voce deſtituti ἀυτοδιδακτοι membranarum Arabicarum contemplatione vos maceretis, & vobis ipſis id eſt, Clenardo judice peſſimis vtamini præceptoribus. Habetis hodie non modò *textus Arabicos* nitidè & cum apicibus excuſos, ſed & *Grammaticas* ſuccinctas itemq; *Lexica* ad ſtudium hoc feliciter inchoandum & continuandum ſufficientia; *Oxoniæ* etiam volente & benedicente Domino, abſq; vllo vitæ vel naufragij periculo ἀυτοπόλι deliciarum harum Orientalium fieri poteritis compotes. *Lectiones*

enim *publicæ in Scholis veſtris* bona veſtra cum venia bis quavis cujuſq; termini ſeptimana habebuntur, quibus via ad prænobile hoc idioma omnibus diſcendi cupidis aperietur. Satisfiet hôc modô ſaltē ex parte decreto *Concilij Viennenſis*, quod ante cccxv. circiter annos publica authoritate injunxit non modò *Academiæ Romanæ*, ſed etiam (vt ante dixi) *Vniverſitati Pariſienſi* in *Gallia*, huic *Oxonienſi in Britannia*, *Bononienſi in Italia*, & *Salamanticanæ in Hiſpania*, *vt binos* ſingulæ publicos *linguæ Arabicæ* alant *Profeſſores*. Quatuor reliquæ cum pleriſque alijs tranſmarinis Academijs hoc in decreto non expreſſis, jampridem muneris ſui partes expleverunt, alijs vnum, alijs duos linguæ hujus Profeſſores fovētibus. Abſit autē, Abſit inquã, vt noſtra hæc *Oxonienſis Academia* ædificiorũ ſplendore ac redituũ amplitudine Academijs tranſmarinis ſuperior, exercitiorum Academicorum publicorum frequentiâ ijſdem inferior evadat. *Libri* multi *elegantiſſimi* extant in *Bibliotheca* veſtra *publica* (vt de

privatis

privatis Collegiorum Bibliothecis nihil dicam) à magno *Bodleio* ingentibus sumptibus comparati, tum impressi tum manuscripti, qui, nisi forte frustrà tantos sumptus velitis factos, certatim efflagitant opem hominis, qui alios ad eosdem cum fructu inspiciendum & evolvendum manuducere possit. Habetis ibi *Pentateuchū*, *Psalmos* & *Novum Testamentum* Arabicè ex officina Leidensi & Romana, habetis ibidem *Pentateuchum cum Commentario Arabico* in folio *literis Syriacis* conscriptum, habetis *Canonem Avicennæ*, *Geographiam Nubiensem* & *Elementa Euclidis* typis Medicæis excusa, nec non opera B *Ephremi* & *Nazri* de insomnijs M. SS. cum quatuor exemplaribus pulcherrimis *Alcorani Mahomedici* alijsque antiquitatibus suo tempore eruendis.

Reviviscat in vobis (*Academici*) ardor ille linguas Orientales excolendi & propagandi veterum Oxoniensium prædecessorum vestrorum, qui tempore Regis Fortissimi *Henrici* VIII. ex plena Congregationis Academicæ domo literas ad ipsum

ipsum Regem exarabant, petentes vt vacationis tempore Oxoniam remittat Sacellanum suum *Robertum Wackfeldum* virum Hebræarum, Syrarum & Arabicarum literarum peritum. Sed tantus est vester erga bonas literas favor, tantus in commodo & honore matris Academiæ vestræ promovendo ardor, vt vos pluribus ad *Arabicam linguam excolendam*, vel ad *publicam* ejusdem *Cathedram erigendam* ac *stabiliendam* cohortari, minimè necessarium esse existimem. Ego ad laborem hunc exilij mei occasione operam meam submisse vobis obtuli, & cùm vos benevolè consensum vestrum præbueritis hâc ipsâ horâ lectionum mearum Arabicarum initium facere volui. Id quod fortassis ingenio vel alijs medijs, quæ in hoc Orientalium linguarum studio magna requiruntur, destitutus, non eâdem, quâ alij facilitate & felicitate præstiturus sum, diligentiâ resarcire conabor, fidelem ac perspicuam Idiomatis Arabici explicationem sincerè vobis promittens, adeo vt ea quæ mihi *Haidelbergæ*, *Leidæ*, & *Parisiis*

siis non sine magnis molestijs per multas ambages discere licuit, vos *Oxonia* publicè in Scholis vestris absq; vlla difficultate cognoscere possitis.

Quod superest ad te, O Æterne Deus, *supplices nos convertimus, gratias tibi agentes ex intimo cordium nostrorum affectu* pro *infinitis tuis erga nos* beneficijs spiritualibus *ac* corporalibus; *quòd nos ab æterno* in Filio tuo Iesu Christo elegisti, *in tempore gratiosè per verbum tuum* vocasti, *per fidem vivam nos* justificasti, *ac corda nostra donasti* spe *certa* gloriæ *tandem in nobis revelandæ*; *quòd nos hisce in terris* in bona pace & securè *quemque sub vite & ficu sua hucusq; sedere voluisti.* 1. Reg. 4. 25. *Ne, quæsumus te*, Misericors Pater, *ingrediaris in iudicium cum servis tuis, nec offendaris multitudine & atrocitate transgressionum nostrarum.* Tege peccata nostra *meritò Filij tui*, *& ablue illa sanguine Agni illius immaculati, vt tanquam nix exalbescant & lanæ similia fiant.* Esa. 1. 18. *Accende corda nostra* studiô sincerô

rō bonorum operum *per Spiritum tuum, vt alij videntes sanctam nostram conversationem glorificent te Patrem nostrum qui es in cœlis. Protege* Ecclesiam tuam, *quæ nunc varijs persecutionum iactatur procellis, sustine eam dextrâ potentiæ tuæ, ne portæ inferorum contra eam prævaleant.* Patmum *dilectæ tuæ* Britannicam *contra insultus hostium tuorum defende, nec permitte vt porcus sylvestris eam suf-* Ps.80.14. *fodiat & animal agreste eam depascat.* Terram Palatinam *olim lacte & melle, inprimis autem aquâ vivâ verbi tui fluentem populo tuo, si vis, restitue: Miserere tot* viduarum *noctes atq; dies sub onere crucis gementium; miserere tot* pupillorum *adiutore omni carentium; miserere* Iob.12.29. *tot* infantium *discrimen inter dextram & sinistram suam ignorantium, quorum saluti insidiatur Antichristus. O Deus gentes ingressæ sunt in hæreditatem tuam & polluerunt templa sanctitatis tuæ. Opprobrio sumus vicinis nostris, sannæ & ludificationi circumstantibus nos. Auxiliare nobis ô Deus salutis nostræ propter hono-* Ps.79.1. V.4. V.9.

 rem

norem nominis tui. Redde vicinis nostris septuplò in sinum ipsorum, opprobrium ipsorum quo te affecerunt O Domine. Serva tanquam nigrum pupillæ oculi tui serenissimum Magnæ Britanniæ Regem Carolum, cum coniuge lectissima Regina Maria; Des servo tuo cor intelligens, ad iudicandum populum tuum numerosissimum & ad discernendum bonum & malum. Sancti tui Angeli castrametentur circa serenissimum Bohemorum Regem Electorem Palatinum Fridericum, circa Reginam Elizabetham & vniversam prolem Regiam. Cum servo tuo, O Domine, verbum tuum exulat, & cum servo tuo, quandocunq; immensæ bonitati tuæ visum fuerit, revertetur verbum tuum in oras nostras. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo des honorem propter benignitatem tuam, propter fidem tuam. Quare dicerent gentes, vbi est nunc Deus ipsorum? Surge, O Domine, & dissipabuntur inimici tui & fugient infesti osores tui à conspectu tuo. Et quoniam neq; qui plantat neq; qui rigat est aliquid, benedi-

Pſ.17.8. 1.Reg 3.9. Pſ.113.1. V.2. Pſ 68.1. 1.Cor.3.7.

cas

cas curis & laboribus Archiepiscoporum, Episcoporum, Pastorum & Doctorum, vt tui nominis gloriam & gregis sibi commissi salutem vnicè ob oculos habentes, multa animarum millia lucrifaciant & è gehennæ faucibus eripiant. Irriga benedictionis tuæ rore seminaria Ecclesiæ & Reip., vtramq; regni Anglicani Academiam Oxoniensem & Cantabrigiensem, vt ex illis operarij ad messem tuam idonei magnô numerô prodeant. Ex pulvere & cineribus suscita Academiam Haidelbergensem, fac vt ea sicuti olim ita in posterum athletas suppeditet, qui pro veritate verbi tui contra Traditionum & superstitionum humanarum abominationem fortiter depugnent. Conserva inter nos studium sacrum verbi tui, itemq; artium liberalium & linguarum eruditarum, ne in veterem barbariē ac tenebras relabamur. Et quia tu, O Deus, os statuisti homini, & à te luminum Patre omnis bona donatio descendit, expleas nos sanctō tuo spiritu sicuti olim Apostolos tuos, vt si non loqui saltem intelligere valeamus linguis Exod. 4 11 Iac. 1 17 Act. 2. 4. 11

varijs Magnalia tua. *Fac vt omnia tua*
1. Cor. 14. 16. *dona ipſaſq; adeo linguas non ad oſtentationem & contentionem, ſed ad S. Sancti tui nominis gloriam & proximi noſtri ædificationem adhibeamus, donec tandem decurſo caducæ huius vitæ curriculò linguis glorioſis, cum B. Angelis tibi acclamamus in perpetuum*, Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Iehova Exercituum, *implet totam*
Eſ. 6. 3. *terrã gloria eius. Tibi ſoli vero* Deo, Patri, Filio, & Spiritui Sancto *ſit omnis laus honor & gloria in ſecula ſeculorum AMEN.*

DIXI.